Officium gratiarum actionis pro victoria ex Turcis obtenta.

OFFICIVM

Gratiarum actionis,

Pro victoria ex Turcis obtenta.

Ex decreto Synodi Prouincialis 1628. celebratæ, conscriptum.

Authoritate Ill: & Reuerend: Dñi,

D. IOANNIS WĘZYK,

Archiepiscopi Gnesneñ, &c.

Editum.

Pro die 10. Octobris.

Ad Vesperas Antiphonæ.

CAntemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare. *Dixit Dominus.* Exod: 15.

Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine: dextera tua percussit inimicum. *Confitebor tibi.* Exod: 15.

Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. *Beatus vir qui.* 1. Reg. 2.

Iusti decantauerunt Domine, nomen Sap: 10.

sanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter. *Laudate pueri.*

Habac: 3. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESV meo. *Laudate Dominum omnes gentes.*

Capitulum.

2. Cor: 10. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri IESV Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

HYMNVS.

SVpreme regum, Rex bone,
Fons pacis & victoriæ:
Deus Pater sperantium,
Vltor superbientium.
Ad iussa cuius turgidæ
Maris procellæ subsident:
Iras leones exuunt,
Sol stat stupens, nec se mouens.
Quem fulgurantem desuper
Gentes feroces expauent,
Hostes tremunt, mali fremunt,
Boni triumphant gaudio.
Tu barbaros Osmanicos
Apros, fugas è vinea:
Vernam tuam Poloniam
A clade dira vindicans.
Ergo tuo celsissimo

Sit nomini laus gloria:
Qui trinus, ac vnus Deus,
Per sæcla viuis omnia, Amen.

℣. Sancti per fidem fortes facti sunt in bello. *Heb: 11.*

℟. Castra verterunt exterorum.

Ad Magnificat

Benedictus Dominus Deus noster, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. *Psal: 143.*

ORATIO.

Domine Deus exercituum, qui interueniente Beata Virgine Maria, & Sanctis Regni nostri Patronis, immanem Turcarum exercitum, in cladem Poloniæ congregatum, magnâ cum ignominiâ repulisti; gratias tibi suppliciter reddimus: maiestatem tuam deprecantes, vt à quibus virgam furoris tui auertisti, eosdem ad te verè conuerti largiaris. Per Dominum.

De Patronis Commemoratio.

Psallite Domino Sancti eius, & confitemini memoriæ sanctitatis eius: quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.

ORATIO.

INfirmitatem noſtram, quæſumus Domine, propitius reſpice, & mala omnia, quæ pro peccatis noſtris iuſtè meremur, interceſſione Sanctorum Regni noſtri Patronorum, à nobis clementer auerte. Per Dominum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Regem qui redimit de interitu vitam: Venite adoremus.

Hymnus. vt in primis Veſp.

Antiphonæ primi Noctur.

Pſal: 117. FOrtitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.

Pſalmus. *omine Dominus noſter.* cum reliquis in feſto SS. Trinitatis.

Apoc. 4. Dignus es Domine, accipere gloriam, honorem, & virtutem. Pſal. *Cæli enarrant.*

Tua eſt Domine, magnificentia, & potentia, & gloria atque victoria.

Pſal. *Domini eſt terra.*

Pſal: 102. ℣. Benedic anima mea Domino.

℟. Et omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.

Lectiones de ſcript: occurrenti.

1. Mach: 3. Reſp: 1. Facile eſt concludi multos in manu paucorum, & non eſt differentia in conſpectu Dei cœli, Liberare in multis & in paucis. ℣. Non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt. Liberare.

Resp: 2. Metabuntur castra filij Israël, vnusquisq; per turmas & cuneos, atque exercitum: porrò Leuitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria. Ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israël. Num: 1.

℣. Et excubabunt in custodijs tabernaculi testimonij. Ne fiat.

Resp: 3. Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum. Et mittebant coronas suas ante thronum. Apoc: 4.

℣. Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam, honorem, & virtutem. Et mittebant. Gloria. Et mittebant.

Antiphonæ secundi Nocturni.

ADonai Domine, magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest. *Omnes gentes plaudite.* Judith 16.

Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. *Magnus Dominus.* 1. Mach: 3.

Vir obediens loquetur victoriam; vir impius procaciter obfirmat vultum suum. *Deus iudicium tuum.* Prou: 21.

℣. Iste Deus meus, & glorificabo eum.

℟. Deus Patris mei, & exaltabo eum.

Lectio IV.

Sermo S. Ioannis Chrysostomi.

De gratij. Deo redden.

GRatiæ sunt per nos Deo habendæ, non solùm verbis, sed & opere. Poterit

tunc vera gratitudo dici, si nostris ex actibus Deus laudem consequatur: cauerimusque ne in eadem illa recidamus, quæ ante improbata euasimus. Nam si forte Imperatorem aliquem fuerimus conuicio & probris insectati, isque nos contra, pro pœna emerita, honoribus auxerit: nonnè & meritò supplicia prioribus acriora, essent ferenda, si rursum quemadmodum ingratitudinis & procacitatis conuicti, eundem conuicijs incesserimus. Neque enim nos adeo prior illa Principi illata contumelia, quàm quæ post susceptos honores, iniuria argueret.

1. Reg. 17. ℟. Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.

℣. Dabit te Dominus in manu mea & percutiam te, & auferam caput tuum. Ego autem venio.

Lectio V.

CÆli, & si taciti, dicuntur Deo laudem annunciare: sic & qui vitam duxerint puriorem, vel ore silenti Deum extollere videntur, quando sui exemplo, & reliquos homines, eundem vt laudibus efferant, polliciunt. Si quidem Deus, non tantùm admirationis, ex cælesti hac formata machina vendicat, quantum gloriæ sibi ex optimis vitæ huius actionibus comparat. Quippe cùm de fide aduersus gentes oritur disceptatio, nullum cælum, sed homines ipsos proferimus, qui cùm antea fuissent feris bestijs truciores,

Angelo-

Angelorum sunt, diuino impulsu, imitatores effecti. Qua vitæ immutatione producta, confestim illorum ora occludimus: eo magis cùm homo sit cælo præstantior.

℟. Quomodo persequebatur vnus mille: Et duo fugabant decem millia.

℣. Ideo quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit eos. Et duo.

Lectio VI.

ENixiùs ergo erit saluti nostræ inhærendum: neque vitæ huius opportunitas omittenda. Possunt vel in ipso spiritus efflatu, gratiæ Deo haberi: licebitque, & si non pari facilitate, ex testamento cum Deo in gratiam redire. Dicet quispiam: Quonam pacto id fiet? Fiet quidem, si Christum tuis hæredibus cohæredem adscripseris, & portionem illi hæreditatis totius impertieris: quem etsi viuens non alueris, moriens saltem è tuo aliquid illi relinquito, vel tum maximè cùm desinunt tuæ esse ditionis quæ possides. Nam vt ille natura clementissimus est, non paruo per te oblata pensabit. Quamuis qui viuens eum aluerit: & meritis maioribus, & amore ampliore est dignus.

℟. Si nolueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi: Ego quoque aduersus vos incedam. *Leuit: 26.*

℣. Percutiam vos septies propter peccata vestra, inducamque gladium vltoris fæderis mei. Ego quoque. Gloria Patri. Ego quoque.

Antiphonæ tertij Nocturni.

Exod: 17. ÆDificauit Moyses altare, & vocauit nomen eius: Exaltatio mea. *Cantate Domino canticum nouum.*

1. Paral: 29. Tua est Domine, magnificentia, & potentia, & gloria, & victoria. *Dominus regnauit.*

Dominum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in cœlis tonabit. *Cantate Domino canticum.*

℣. Benedic anima mea Domino.

℟. Et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.

Lectio VII.

Lectio sancti Euangelij secundùm Lucam.

IN illo tempore; Dixit Iesus discipulis suis: Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri: oportet enim primùm hæc fieri, sed nondum statim finis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorij Papæ.
Homilia 35. in Euang.

DOminus ac redemptor noster perituri mundi præcurrentia mala denunciat: vt eo minùs perturbent venientia, quo fuerint præscita. Minùs enim iacula feriunt quæ præuidentur: & nos tolerabiliùs mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. Ecce etenim dicit: Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri: oportet enim primùm hæc fieri, sed nondum statim finis. Pensanda sunt verba Redemptoris no-

ris nostri, per quæ nos aliud interius, aliud exterius passuros esse denunciat. Bella quippe ad hostes pertinent, seditiones ad ciues. Vt ergo nos indicet interius exteriusque turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud à fratribus perpeti.

℟. Reddidit Dominus iustis mercedem laborum suorum, & deduxit eos in via mirabili: Et fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem. Sap: 10.

℣. Transtulit eos per mare rubrum, & transuexit eos per aquam nimiam. Et fuit.

Lectio VIII.

SEd his malis præuenientibus, quia non statim finis sequatur, adiungit: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum; & terræ motus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresq; de cœlo, & signa magna erunt. Vltima tribulatio multis tribulationibus præuenitur: & per crebra mala, quæ præueniunt, indicantur mala perpetua, quæ subsequentur. Et ideo post bella & seditiones non statim finis: quia multa debent mala præcurrere, vt malum valeant sine fine nunciare.

℟. Iusti tulerunt spolia impiorum, & decantauerunt, Domine, nomen sanctum tuum: Et victricem manum tuam laudauerunt pariter. Sap: 10.

℣. Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas. Et victricem. Gloria. Et victricem.

Lectio IX.

Ex Breui Apostolico Greg: XV. Papæ.

REgnante SIGISMVNDO III. Poloniæ & Sueciæ Rege, Osmanus Turcarum immanissimus tyrannus, vna cum Tartarorum Domino, innumerabilibus copijs ad excidium Regni Poloniæ comparatis, ad fines Russiæ peruenit: occurrit ei exercitus vltra Tyram fluuium, quem Princeps WLADISLAVS, dicti SIGISMVNDI Regis natus, ducebat. Cùmq; decies pugnatum esset, & semper à nostris victoria stetisset: tot cladibus afflicti hostes, & fama aduentantis, cum vniuersa Poloniæ nobilitate, SIGISMVNDI Regis exterriti, ad pacem æquis conditionibus offerendam, adducti fuerunt: ac ne palmo quidem terræ à Regno auulso, magnaque parte exercitûs amissa, maiori cum dedecore & confusione, primi ex acie discesserunt. Cuius singularis diuini beneficij memoriam, GREGORIVS XV. Summus Pontifex, cum gratiarum actione perpetuis temporibus, in honorem B. V. Mariæ, ac Regni Patronorum, qui hoc impetrasse piè creduntur, die 10. Octobris, celebrare cum Processione, statuit & ordinauit.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes Antiphonæ.

CAntemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare. *Dominus regnauit.*

Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitu-

fortitudine. dextera tua percussit inimicum. *Iubilate Deo.*

Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. *Deus Deus meus, ad te.*

Iusti decantauerunt Domine, nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter. *Benedicite omnia opera.*

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESV meo. *Laudate Dominum de cælis.*

Capitulum.

Benedictus Deus, & Pater Domini nostri IESV Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

HYMNVS.

REx magne, Rex altissime,
Virtutis è Throno tuæ
Æternitatem partiens,
Et regna mundi transferens.
Quàm sunt inaccessæ tui
Profunditates consilij!
Vt est procul cœlum solo,
Arcana sic procul tua.
Assur, furoris, ferrea
Qui virga, diuini fuit,
Nunc ipse pœnas acriter
Iussu tuo, demens, luit.
Sic corda, quando cæteris

Cœdem ſuperbè detonant,
Cæduntur, & caſu ſuo
Dei timorem prædicant.
Patri Deo ſit gloria,
Ejuſq; ſoli Filio,
Cum Spiritu, qui perpeti
Mundum regit cuſtodia. Amen.

Pſal: 85. ℣. Non eſt ſimilis tui in Dijs Domine.
℟. Et non eſt ſecundum opera tua.

Ad Benedictus.

Tob: 12. Benedicimus Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

Pro Commemoratione Patronorum.

Pſal: 51. Confitebor tibi in ſæculum, quoniam feciſti: & exaltabo nomen tuum, quoniam bonum eſt, in conſpectu Sanctorum tuorum.
℣. Sancti & iuſti in Domino gaudete.
℟. Vos elegit Deus in hæreditatem ſibi.

Ad Tertiam.

Capitulum.

Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri IESV Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.

ſap: 10. ℣. Iuſti decantauerunt, Domine, nomen ſanctum tuum.

℟. Victri-

℟. Victricem manum tuam laudauerunt pariter.

Gloria.

℣. Adorabant sancti viuentem in sæcula. *Apoc. 4*

℟. Et mittebant coronas suas ante thronum Dei.

Ad Sextam.

Capitulum

O Quam bonus, & suauis est Domine, *Sap.* Spiritus tuus in omnibus: Ideoque qui errant, partibus corripis, & de quibus peccant, admones; & alloqueris, vt relicta malitia, credant in te Domine.

℣. Adorabant sancti viuentem in sæcula.

℟. Et mittebant coronas suas ante thronum Dei.

Gloria.

℣. Dignus es Domine Deus noster.

℟. Accipere gloriam, honorem, & virtutem.

Ad Nonam.

Capitulum.

TV autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos: subest enim tibi, cùm volueris, posse.

℣. Dignus es Domine Deus noster.

℟. Accipere gloriam, honorem, & virtutẽ.

Gloria.

Esther 13. ℣. Ab insurgentibus in me exaltabis me.
℟. A viro iniquo eripies me.

Ad Magnif: in secundis Vesp.

DOmine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ, si decreueris saluare Israel.

De Patronis Commemoratio.

PSallite Domino Sancti eius, & confitemini memoriæ sanctitatis eius: quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. ORATIO. Infirmitatem nostram, &c. vt in 1. Vesperis.

Missa huius diei in Gratiarum actionem, fit de SS. Trinitate.

Deinde Commemoratio de Patronis, vt sequitur.

ORATIO.

DOmine Deus exercituum, qui interueniente B. V. Maria, & Sanctis Regni nostri Patronis, immanem Turcarum exercitum, in cladem Poloniæ congregatum, magnâ cum ignominiâ repulisti, gratias tibi suppliciter reddimus: maiestatem tuam deprecantes, vt à quibus virgam furoris tui auertisti, eosdem ad te verè conuerti largiaris. Per Dominum.

Secre-

Secreta de Patronis

ADesto Domine, supplicationibus nostris, quas in Sanctorum Regni nostri Patronorum honore deferrimus: vt qui nostræ iustitiæ fiduciam non habemus, eorum, qui tibi placuerunt, meritis adiuuemur. Per Dominum nostrum.

Postcommunio de Patronis.

QVæsumus Domine, salutaribus refecti mysterijs, vt Orationibus Sanctorum, Regni huius Patronorum, quorum intercessionis memoriam celebramus, ab omni inimicorum incursu liberemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c.